



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Daciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ILLVSTRI REGI DACIÆ.

Epist. 103.  
Suadet ut  
pugnet adver-  
sus paganos.

**S**Vggestor scelerum serpens antiquus, qui semper querens quem devoret, tamquam leo absorbet fluvium nec miratur, habens fiduciam quod Iordanis influat in os ejus, quosdam jumentis insipientibus, quibus verè sunt similes, comparandos adeo excœcavit quod factorem suum, qui pelle ac carnibus illos vestit, nervisque compactis & ossibus vitam & misericordiam eis dedit, penitus ignorantes, reverentiam exhibent creaturæ quam deberent impendere creatori, & damnabiliter idolorum cultibus inhærentes, Christiani nominis professores abhorrent, eoque qui sibi prædicant verbum Dei tamquam maleficos persequuntur. Licet autem adversus hujusmodi barbaras nationes regno tuo conterminas prælium Domini præliando multos sæpe labores sustinueris & expensas, nuper tamen imber divinæ gratiæ terram cordis tui sanctæ prædicationis vomere diligenter excultam adeo fecundavit quod divinæ zelo legis accensus apprehendere arma & scutum iteratò proponis, ut juxta parabolam evangelicam debiles & infirmos, cecos & claudos ad nuptias summi Regis intrare compellas, tractisque barbaris nationibus in sagemam fidei orthodoxæ, illuc viror junci & calami valeat suboriri ubi habitaverant hætenus strutiones. Nos igitur tuum propositum in Domino commendantes, devotionem regiam monemus attentius & hortamur, & in remissionem tibi peccaminum injungimus quatinus amore illius qui captivitatem nostram sua duxit virtute captivam, ad extirpandum paganitatis errorem & terminos Christianæ fidei dilatandos viriliter te accingas, neque timeas passiones hujus sæculi, quæ condignæ non sunt ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, sed in forti brachio & extento confundas cum suis idolis spurcitiæ paganorum, ac tamquam strenuus miles Christi fortiter & potenter in hujus certaminis agone contendas, gloria sempiterna, quæ in cor hominis non ascendit, si legitime certaveris, coronandus. Datum Laterani 11. Kal. Novembr. &c. *ut in alia.*

OTTO NI ILLVSTRI  
Romanorum Imperatori semper Augusto.

Epist. 104.  
De eodem ar-  
gumento.

**S**Vggestor scelerum serpens antiquus &c. *ut in alia usque* persequuntur. Licet autem charissimus in Christo filius noster Waldemar Rex Danorum illustris

adversus hujusmodi barbaras nationes regno suo conterminas prælium Domini præliando multos sæpe labores sustinuerit & expensas, nuper tamen imber divinæ gratiæ terram cordis ejus sanctæ prædicationis vomere diligenter excultam adeo fecundavit quod idem zelo divinæ legis accensus apprehendere arma & scutum iteratò proposuit &c. *ut in alia usque* hætenus strutiones. Sed quoniam Rege ipso in tam sancta peregrinatione profecto quidam Theutonici regnum ejus crudeliter devastarunt, ex eo forsitan fumentes audaciam delinquendi quod Rex absens eorum non poterat incursum obviare, idem nobis devotissimè supplicavit excellentiam tuam nostris litteris admoneri ut ex tua fiat permissio securus quod quoad fuerit in executione peregrinationis ejusdem, ipsum ab æmulis & persecutoribus regni sui sub imperiali potestate degentibus non oporteat formidare. Cum autem idem Rex nostris exhortationibus invitatus magnificentiæ tuæ semper in necessitatibus tuis astiterit, tuumque procuraverit incrementum modis quibus potuit & honorem, decet imperialem excellentiam, tum ex hoc, tum etiam quia pergit in servitium Iesu Christi, tuum favorem impendere ac ipsius petitioni præstare consensum. Monemus igitur celsitudinem tuam attentius & hortamur quatinus universos tibi subditos ab ejusdem regni molestatione ita cohibeas & refranes quod pium ipsius Regis propositum propter infestationem ipsorum non possit vel non debeat impediri, sed interim regnum ejus taliter assécures quod hujus peregrinationis particeps effici merearis, & tam Regem ipsum quam alios qui audierint te ipsi vices debitas impendisse per hoc devotius ad servitium imperatoris sublimitatis inclines. Quod autem super hoc duxeris faciendum, imperialis nobis celsitudo rescribat. Datum Laterani 11. Kal. Novembris &c. *ut supra.*

*In eundem modum scriptum est universis Christi fidelibus in regno Daciæ constitutis, usque strutiones. Nos ergo pium ipsius Regis propositum in Domino commendantes, universitatem vestram monemus attentius & hortamur, vobis in remissionem peccaminum injungentes quatinus amore illius qui captivitatem nostram &c. usque dilatandos, cum ipso Rege vos viriliter accingatis, neque timeatis passiones hujus sæculi, quæ condignæ non sunt ad futuram gloriam quæ in nobis revelabitur, sed in forti brachio & extento confundentes cum*